



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Originvm Monasticarvm Libri IV.**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

Cap. III. De Congregatione reformata Lotharingica monachorum ordinis  
Sancti Benedicti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11249**

## CAPVT III.

*Congregatio reformata Lotharingica Monachorum Ord. S. Benedicti.*

**S**uperioribus annis in Lotharingia exordium sumpsit reformata Benedictinorum Congregatio, cui postea non pauca regni Fræciæ, ac Burgundiæ cœnobia sese aggregarunt in his Abbatia *S. Vincentij* in vrbe Vesontionensi, *Fauerniacum* in Comitatu Burgundiæ & diœcesi Vesontionensi, & alia. Eiusdem Congregationis sodalibus in vrbe Parisiensi an. 1618. traditum est à Ludouico XIII. Rege ac Parlamento Parisiensi monasterium Guilielmitarum.

Ceterùm dictæ Congregationis Patres, ne talentum suum defodiant, in concionibus ad populum habendis, confessionibus audiendis alijsque pijs actionibus, magno fidelium bono & applausu, sese exercent: vt in Hispania quoque faciunt Benedictini ac Cistercienses.

Haud abs re fuerit hoc loco subnectere breuem historiam Miraculi, quod an. 1608. circa Venerabile Sacramentum Eucharistiæ in Fauerniaco contigit. De quo sic Ioannes Chiffletius in descriptione Vesontionis, an. 1618. Lugduni edita.

*Miraculum Fauerniaci.*

An. 1608. die Sancto Pentecostes, 25. Maij, in ecclesia antiquissimi monasterij B. Mariæ Virgi-

Virginis De Fauernè, (Aimoinus anno Christi 870. Fauerniacum vocat) ord. S. Benedicti, diœcesis Bisontinæ; cùm Indulgentiarũ tunc concessarum causa, sanctissimum Eucharistię Sacramentum, in duabus hostijs, ipsa eadem die cõsecratis, argẽteo Reliquiario, vnius ad minimũ marcẽ inclusũ, de more, populo propositũ fuisset: contigit, vt igne, quo fato nescitur, accẽso, mensa lignea, gradu, tabernaculo, mappis & alijs ornamentis absumptis, suppositoq; marmore humi fracto, Reliquiariũ graue & metallicum, cum duabus inclusis hostijs nõ modò illæsum, sed etiã in aere suspensum, absque villo sustentante corpore solido, remaneret, idq; per spatium triginta trium circiter horarum, vsque ad horam scilicet decimam matutinam diei Martis, tertij festi Pentecostes; cùm, vicino quodam Parocho, qui solenni supplicatione illuc aduenerat, Missã celebrante, & sacratissimã hostiã, post primã eleuationẽ, demittẽte, Reliquiariũ ex se sèsum & leniter descẽdit, rectaq; Missali codici insedit, qui corporali cõtectus (vt cũ maiori reuerẽtia exciperetur, si fortẽ decideret) illi cum intermedio spatio fuerat suppositus. Quæ omnia visa sũt à quã plurimis inculpata vitæ & integræ fidei testibus, quib; per Inquisitores idoneos auditis, firmatũ miraculũ, ad Dei Opt. Max. gloriã, & honorem, Ecclesiæ Catholicæ bonum & fidelium consolationem publicauit Ill.<sup>mus</sup> Fer-

*dinandus de Rye*, Archiepiscopus Bifuntinus diplomate Vefontione 10. Iulij anni 1808. dato. Hostiarum miraculosarum vna Fauerniaci remansit, altera, iussu Ser. <sup>morum</sup> Archiducum Alberti & Isabellæ, Burgundiæ Principum, Dolam Sequanorum, maxima pompa, precibus publicis translata est, in festo S. Thomæ Apostoli, eiusdem anni 1608. cui deinde pius Aduocatorum cœtus, sub S. Iuonis patrocinio, Dolæ pridem institutus, sacellum splendidissimum exstrui curauit, quod an. 1614. die 19. Maij idem Reuerendissimus Ferdinandus ritu solenni dedicauit. *Hactenus Chiffletius.*

## CAPVT IV.

*De Congregatione monachorum sacra Cisterciensis obseruantia in Hispania.*

Anno.  
1425.

**R**Eformata ista Congregatio, titulo S. Bernardi, anno millesimo quadringentesimo vicesimo quinto, sumpsit exordium. Auctor illius fuit *Martinus Vargas*, Doctor Theologus & monachus cœnobij Petræ, in Aragonia; qui Roma reuersus, cum alijs duodecim monachis ac sodalibus, in monasterio *Montis Sion*, haud præcul à Toletto, consedit, & veterem disciplinam monasticam in vsum reuocauit, Romano Pontifice approbante. successu temporis, vt fit, varia monasteria exemplo